28 A n:2

Vix a me discesseras, Barlæe doctiss., cum oblatâ
scribendi occasione, manum calamo admovi, et parum tui
memores Britannos quâ decere visum est comi severitate
compellavi; ~~ne~~ ut scilicet quæ inter illum Regem et Remp.
nostram super Iure Legationis nata contentio esset, privato
saltem tibi non obstaret, cui cum Republica nihil commune
esse, nisi quod in persona Regis publice de omni gente
meritus es. cuius ut illi literarum acerrimi vindices ac
patroni, tam subito non recordarentur, fieri id, meâ
opinione, per Musas non posse. Quicumque tandem vis
futurus est eventus, nolim vel ambigere quicquid mihi
cumq; iis amicorum sint; ut si forte opinionem meam
Angli eluserint, quod vix est ut metuam, eam certè
quam de amicitia mea concepisti & concipio, nunquam
caussa sit ~~..~~ cur amittas. Addo huic epist.
Italiam et Germaniam meam; id est exiguam earum
partem, qualem olim dum negotium publice tunc
mihi commissum festinanter lustrare contigit.
Redijt ~~....~~ nunc demum ad me libellus iste,

à manibus magnorum virorum, qui ut meâ impensâ domi [illegible] sua quidam [illegible] crediderunt, curiosi utiq non locorum quæ adiecimus, sed earum maximè rerum quæ ab illo rituum aulicorum et Politicorum peritiss.o Legat. ([illegible]) publicè ubiq circa occursum virorum Principum et [illegible] huiusmodi ~~[illegible]~~ receptionum solennia gesta fuerint. Te fortasse regionum, viarum, oppidorum historia magis afficiet. Illo iucundissimi itineris tanto magis meminisse iuvabit, & post innumeros alios, unicam in eo paginam relegisse [illegible] cuius gratiâ totum decurrisse non pœnitebit. Vale et me ama. Hag. A.o Iunij CIↃIↃCXXVII.

VII

Tui amantiss.us

C Huygens.

© Universiteitsbibliotheek Amsterdam
28A02
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/355